



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Series Episcoporum Archiepiscoporum Et Electorum
Moguntinorum, Trevirensium Et Coloniensium**

Kolb, Gregor

Rottwilae, 1725

VD18 12054054

LXXXIII. Maximilianvs. LXII. Arch. XLVI. Elector.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64326](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64326)

præclara reliquit monumenta, auditus haud semel duntaxat propositas Theses doctissimè propugnare & impugnare, dignissimus Princeps, qui quadruplici Mitra exornaretur suo tempore. Annis 38. Ecclesiæ Coloniensî emolumento ejusdem maximo præluxit, totidem ferè annis mala perpeffus gravissima: ab anno enim 1625. Brunsvicensium copiæ per Coloniensẽ Electoratum grassatæ sunt quidvis audendi libertatem jus suum ratæ. Ab anno 1632. successit Gustavus Adolphus Suecorum Rex Ferdinando Electori eò infensior hostis, quò arctiori sanguinis vinculo Maximiliano Electori Bavaro, & amicitiaæ fœdere Ferdinando Cæsari conjunctum esse noverat Electorem Coloniæ, simul & Archiepiscopum, & Lutheri hostem. Hassorum etiam armatæ copiæ Colonienses ditiones animo maximè hostili invaserunt, inde nulla nec arte, nec vi expulsæ; donec denique inita pace Novesio aliisque urbibus egredi pacta publica suaserunt, liberali auro viam sternente ad reditum. Cæterum componendis in Imperio turbatissimo negotiis ab Imperatore Ferdinando II. adhibitus, & à partibus, ut id faceret, rogatus, ita satisfecit omnibus, ut Ferdinandi virtus nunquam non eminuerit inter virtutes Virorum Principum non paucorum. Ferdinandi nimirum instar regulæ erat quotidie fortiter agere & pati, atque adeò esse *Episcopum*, hoc est *perfectum*, quale testimonium de suo Pastore dixerunt oves omnes bonæ.

LXXXIII. MAXIMILIANVS, LXII. ARCH.
XLVI. ELECTOR.

Maximilianus Henricus Ducis Alberti Bavari filius Pedo triplici fortior ac firmior, Ecclesiam triplicem multis suis virtutibus solidissimis confirmavit, Coloniensẽ nimirum, Leodiensẽ & Hildesiensẽ. Et verè virtutes Maximiliani Ecclesiæ columnas dixit S. R. E. Cardinalis Julius Mazarini, qui ab æmulis ad Gallorum Regem Ludovicum

cum XIV. delatus, tantisper aulam Francicam fugit, & anno 1651. ad Maximilianum hospes pervenit. Columnen suum non minus expertus est Maximilianum Ernestus Hassiæ Marchio, qui an. 1652. Coloniam sibi elegit columnam, ut relicto Lutheri ædificio ruinoso staret & quiesceret securius. Annis Electoratûs sui posterioribus, partim domesticis, partim externis, expositus bellis, fortunam sustinuit variam, præsertim verò dum fœdus iniit cum Gallorum Rege adversus Batavos haud annuente Cæsare. Maximiliani scopus erat ditiones suas à Batavis sibi ereptas, præsertim verò Rhenobergam munimentum suum recuperare, quod promittebat & præstabat initum cum Gallis fœdus. Inter sacrum & saxū igitur medius Maximilianus, quò se verteret, crebrò incertissimum habuit, soli Deo denique adhærere & aliàs, & maximè in lucta ultima doctus, quam sustinuit an. 1688. post annos Regiminis 38.

LXXXIV. IOSEPHVS CLEMENS, LXIII. ARCH.
XLVII. ELECTOR.

Josephus Clemens Dux Bavarus Maximiliani Emanuelis Electoris frater an. 1688. favente Innocentio XI. & Cæsare Leopoldo contra S. R. E. Cardinalem Wilhelmum Fürstenbergicum Argentinæ Episcopum, & Archiepiscopi Colonienfis Adjutorem electus, Mitram Leodiensem unà cum Colonienfi conservavit, Frisingensem verò & Ratisbonensem Successoribus aliis reliquit. Varia dein Martis discrimina subiit, certantibus inter sese de corona Hispaniæ primò Cæsare & Gallorum Rege; mox verò Europâ propemodum universâ. At tandem stabilita pace sacris sese totum muniis denuò consecravît Elector Clemens, dum more Episcoporum veterum nunc conscensis exedris sacris ad avidissimum populum dixit, nunc Sacerdotes aut Episcopos consecravît, nunc ad Christianas aras perductos Baptismatis aquâ mundavit, nunc ritè baptizatos in fide confirmavit, paratissimus

Aa

etiam